Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2067

Quelle:
Copyright:

easdem ſacras functiones. Incipit: *Ad fructus uberes, quos in agro dominico* &c. Nullis notis chronologicis munitum; ſed extat inter *Privilegia cit. n.* 68. datum *apud urbem ueterem.* IIII. *Idus Januarii* pontificatus *anno primo*, id eſt, 1282.

VIII. *fol.* 94. p. 2. Gravamina *Praelatorum Franciae* contra ſupra dicta *Mendicantium Privilegia.* Initium: *Occaſione priuilegij huius inter prelatos et religioſos predictos utriusque ordinis ſuper tribus altercatio eſt exorta* &c. Tria haec ſunt, quod *Mendicantes* adſerant, licere ſibi praedicare non tantum ſine venia *Epiſcoporum*, ſed etiam iis invitis; dein poſſe ſe abſolvere etiam in *Caſibus* Pontifici reſervatis; denique homines apud ſe de peccatis confeſſos non teneri de iisdem apud *Parochianos Presbyteros* confiteri. Ex decurſu patet Gravamina haec delata eſſe ad *Nicolaum* IV. qui an. 1288. electus fuit, idque ex Decreto Concilii *Remenſis* anno praeced. celebrati, quod habes T. XIV. *Collect. Concil.* edit. *Venetae col.* 1077. Ab hoc vero, qui ipſe ex *Ordine Min.* adſumtus fuiſſet, rem in medio relictam queritur *Egaſſ. Bul. ſuprac.* T. III. p. 507. qui pluribus bella iſthaec *nullos habitura triumphos* perſequitur, quin tamen Scriptum praeſens inferat, quod ineditum putem.

In Codicis theca anteriore legitur: *Ex bethlehemiticis*, id eſt, ex Codicibus olim ad Eccleſiam *Pragenam* dictam *Bethlehem*, in qua *Joh. Huſſus* ad concionem dixerat, pertinentibus. Folio praevio alia manus adſcripſit: *Habui dono a Myſtopolo* (Adminiſtratore Archiepiſcopatus pro Utraquiſtis) *24 aprilis 57. pragæ.* Thecae demum poſticae locus quidam *Auguſtini* bohemice redditus adhaeret.

DXLV.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 20. f. per duas columnas probe exaratus, rubricis diſtinctus, olimque ad *Pragenſe Caroli IV. Collegium* pertinens Primo inſcribitur: *Iſte liber tractat de periculis que euenient circa finem mundi.* Et mox rubro: *Tractatus breuis de periculis noviſſimorum temporum ex ſcripturis diuinis exceptus.* Initium Prologi: *Ecce uidentes clamabunt foris* &c. *Guilelmi de S. Amore* τῶ Μισομοναχῶ Opus, in XIV. *Capita* diſtinctum, *Codd.* pluribus indicatum, et inter Ejus *Reliqua* an. 1632. ficto *Conſtantiae* nomine p. 17. 4. impreſſum. Caput *ult.* nobis ita finitur: *Illi ergo predicatores qui procurant amicicias huius ſeculi non ſunt ueri apoſtoli ſed pſeudo et maledicuntur a deo et ihesu chriſto domino noſtro per infinita ſecula ſeculorum Amen.* Pro quo *Edita* integram *paginam* ultra excurrunt. Verum nobis prolixus *Auguſtini* locus: *Sunt quidam in eccleſia chriſti qui volunt eſſe humiles ſine deſpectu — omni ueritate carentes,* 316